

de Bagnacavallo [a]; comes Guido et Bernardinus comites de Cunio; Albertinus de Fantulino et Rainerius comites de Donigalia; Firamberti nostri [b] cum tota eorum compagna [c] et fortia de episcopatu Faventino et Imolensi, apud Cosnam imperatoris praecepto fixere tentoria [d]. Isti non virtute venerunt propria, sed sub vexillo principis ausi sunt nostrum intrare districtum. Sed cum hic totus exercitus, tam hominum quam cursum, per civitatem Faventiae iter voluntate rectoris haberet [e], et ambaxatores omnium civitatum societatis Lombardiae adessent Faventiae, dictus Imperator a parte superiore per Taliaveriam cum quibusdam Faventinorum militibus et aliorum caperet iter [f]; rumor ingens sonuit Faventiae, et ad sidera clamor tollitur, vastis vocibus repletur civitas ista, et confuse sonuerunt voces [g]: *Prodicti sumus* [h]. Quid plura? Induerunt se loriceis [i] sicut gigantes, et more solito apprehendentes arma bellica, similes facti sunt leoni in operibus suis, et tamquam catuli leonum rugientes in venatione sua, dixerunt ad Dominum: *adjuva nos, Deus salutaris noster* [j] et *defensor noster*. Et alii: *adjuva nos, beate Petre, vexillifer noster*. Quidam sunt mortui in civitate, et quidam vulnerati in burgis. Equi pecunia [k] magna onerati in civitate et burgis nostris remanserunt. Ariminenses vero et alii hanc vocem audientes, cum fuga usque Forolivium se proripiant, et [l] nostros fortissimos ictus verentes, delirant maxime [m], nemine persequente [n], strata vero omnium diversorum armorum repleta generibus. Verum etiam quae propter rumorem ablata fuerant, ad palatium potestatis praecepto sunt reportata [o], et cuncta sua cognoscentibus restitui fecit in integrum. Hanc vero verecundiam [p] et hunc perpetuum Ariminensium et Ravennatum dolorem habentes, a Cosna usque Sanctum Proculum per Tiglaveriam [q] bene armati transierunt, et castrametati sunt cum toto exercitu in comitatu. In reversione [r] vero per invia et devia quaeque a latere inferiori tempore pluvioso valde per Cuthignolam usque Rafanariam [A] deinde ad propria remearunt. Verum quod dictus Imperator statuerat, ad effectum perducere non

[a] Malvicini de Bagnacavallo, Codd. — [b] Firamberti nostri. Sic legit cl. Mitt. In C. M., *Firamberti nti*, legi posse videtur. In C. V., loco *nti*, est *nte*. — [c] eorum compagna. Sic Codd. An legendum: eorum campagna, vel compagna? — [d] fixere tentoria. Codd., *fixere temptoria*. — [e] cum hic totus exercitus, tam hominum quam cursum, per civitatem Faventiae iter voluntate Rectoris haberet. Sic corrigo. C. V. habet: cum hunc totum exercitum tam hominum, quam cursum pro civitate Faventiae iter voluntate Rectoris haberetur. Sic quoque habet C. M.; excepto, pro civitate, cuius loco in eo est: per civitate. Cl. Mitt. legit: pro civitate; et, loco cursum, habet: currium; itemque, non iter, legit, sed iterum. In C. M. est notula *it*. — [f] caperet iter. Sic lego. In Codd., *caperet iter*. — [g] sonuerunt voces. Sic corrigo. Codd. habent: sonuerunt foces. — [h] *prodicti sumus*. Sic lego. C. M. habet: *prodicti sumus*; C. V., *praedicti sunt*. Cl. Mitt. legit: *perdicti*, sive *perdicti sumus*. — [i] Induerunt se loriceis. Sic lego. Codd. habent de more: *induerunt se loricas*. — [j] *Deus salutaris noster*. Sic legendum. C. V., *Dominus salvatoris noster*. — [k] *Equi pecunia*. Sic corrigo. Codd. habent: *equos pecunia magna oneratos*. — [l] *se proripiunt*, et. Sic suppleo; nam aliquid profecto deest. — [m] *delirant maxime*. Sic lego. Codd., *delirant maxima*. — [n] *nemine persequente*. Sic lego. Codd., *neminem persequente*. — [o] *sunt reportata*. Sic lego; *sunt deportata*, legit Cl. Mitt. — [p] *verecundiam*. Sic lego; *verecundiam*, Codd. — [q] *per Tiglaveriam*. Sic hic Codd.; *per Tiglaveriam*, legit cl. Mitt. — [r] *in reversione*. Sic lego cum C. M.; *incursione*, habet C. V.

[A] Rafanaria est pars territorii Russii, in loco *Madrara* dicto. Antiquitus Decimellum vocabatur. Distat Faventia sex milliaria. Cuthignola, nobile oppidum ad dextram ripam Sennii, octo abhinc milliariis, Lugium versus.

1. Mach. 3, 3, 4: induit se loriceis sicut gigas et surgit

Tron. 281.

se arma bellica sua inproclit. . . . Similis factus est leoni

in operibus suis et sicut catulus leonis rugiens in venatione. H. E.